

# **Dissertatio medica de pleuritide / defendam Bernhardus Verzascha.**

## **Contributors**

Verzasca, Bernhard, 1628-1680.  
Bauhin, Johann Caspar, 1606-1685.

## **Publication/Creation**

Basileae : Typis Georgii Deckeri ..., [1648]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ryswazat>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
 De  
**P L E V R I T I D E**  
*Quam*  
 JEHOVA PATROCINANTE  
 SCITV NOBILISSIMI SENATVS  
 MEDICI  
 P R A E S I D E.  
*Viro Excellentissimo*  
 DN. JOHAN. CASPARO BAVHINO  
 Anatom. & Botan. Profess. celeberr.  
 Mecœnate & Præceptore venerando  
*defendam*  
 M. BERNHARDVS VERZASCHA  
*Ad diem 15 & 22. Decembr. A. S. 1648.*  
*Horis & loco consuetis.*

---

D I C T A T O R

Ιητρικὴ τεχνέων πασέων ἐσὶν Ὑπιφανεσάτη. Άλι ἡ ἀμαθίης τῶν περιεωμένων αὐτῇ, καὶ τῶν εἰκῆ σὺν τοιγτόδε κελνόντων, πολύπ πασέων ἥδη τῶν τεχνέων διπλεῖται.

---

BASILEÆ Typis GEORGI DECKERI  
Universitatis Typographi.

PATRI PATRIÆ  
VIRO  
AMPLISSIMO PRUDENTISSIMO  
INTEGERRIMO  
DN.JOHAN.RODOLPHO FESCHIO  
INCLVTÆ REIPVBL. BASILEENSIS  
CONSVLI SPECTATISSIMO  
HAC  
MEDICÆ DISSERTATIONIS  
CONSECRATIONE  
SVBMISSAM ET DEBITAM  
OBSERVANTIAM  
TESTATVR  
M. BERNHARDVS VERZASCHA  
BASILEENSIS.



Leganter, CONSVL SPECTATISSIME, in libro ὁ θεὸς τῆς τέχνης Medicum fortunatus λόγῳ-πεῖρᾳ Senex describit, quod sit: Θεατηώμηρος μὲν διὰ τύτεως, οὐ ψέγδη, δύπορεων ἢ διὰ την τέχνην, οὐ Βονθοῦ, διωδίμηρος ἢ διὰ σοφίας, οὐ πεπαιδυτοῦ. *Aurea certè sententia*

— niveis signanda lapillis

Atque linenda cedro —

Quid enim gloriosius εἰ ad possessionem illustrioris famae consequendam aptius? quam μὴ παρθσαν ὑγιείαν ἐργάζειν, οὐ παρθσαν διαφυλάττειν, lib. de sect.ad Tyron.cap.i. Hac sedulâ perpendens mente rursus in publicum progredior, εἰ Pleuritidis saevissimi affectus naturam εἰ curam brevibus adumbro, μάλιστα δ' αὖ ἐπαινέσαιμι ἵνεσον, (verba sunt Dictatoris in libro ὁ θεὸς τῆς τέχνης οὕτων) οὓς πιστὸν οὕτων οὔτημασιν, ἃ πλείστες τῶν αὐθεόπων κλείνεις, τὸν τελέοισι διαφέρειν πὶ τῶν ἀλλων εἴη Πᾶν τὸ Βέλιον. Ετι τὸ ταῦτα, subjungit, οὕτε δικοῖα ὠνόμασαν διαρχαῖοι, ΠΛΑΕΥΡΙΤΙΝ. καὶ θειπλουμονίει. καὶ Φευνῖτιν. καὶ λίθαργον. καὶ καῦσον. καὶ τὸ ἀλλα οὔτημα τελέα, δικόσα τυτέων ἔχόμηρά ἐστιν, ὅνοι πυρεῖ τὸ Πάπιαν ξυνεχέες οὔτες κλείνοσιν.

Tibi, autem, CONSVL SPECTATISSIME, hoc  
meléma in regno in devoti cultūs & submissæ ob-  
servantiæ argumentum consecrare animum indu-  
xi meum. Legi apud Ælianum, quod Persa ille  
Sineta, cùm procul à sua casula Artaxerxi Per-  
sarum Regi occurrisset, nec præ manibus, quod Re-  
gi offerret, habuisset, ad proximum fluvium cur-  
su contenderit, & utrāq; volâ aquam hauriens  
Regi ista cum acclamatiōne obtulerit:

O Rex Artaxerxes seculum regnes.

Eum ergo imitandum ratus hanc depromptam  
è spaciose Iatrices fluvio dissertationem acclama-  
tione Poetica offero.

O Decus, ô Patriæ per te florentis Imago,

O Vir & innumeris concelebrande modis,

En habitas terras & te desiderat æther,

Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.

His accedit, CONSVL SPECTATISSIME, pa-  
trocinium, quo me FILII TVI, Vir Amplissi-  
mus, Dn. REMIGIVS, Pandectarum Professor  
clarissimus, Vir Excellentissimus, Dn. CHRISTO-  
PHORVS, Logices Professor honoratissimus, fide-  
lissimi Patris mei prob dolor! defuncti loco, in  
studiorū meorum cursu protegunt, custodiunt,  
tuentur.

Quo-

*Quoties, CONSVL SPECTATISSIME, vene-  
randacanities tua oculos incurrit meos, toties Pe-  
riandi effatum mentem incurrit meam dicentis:  
O Respublica terq; quaterq; beata, quæ ab his  
regitur, qui sapientiæ incumbunt: Etenim Sa-  
pientia Divina & Politica coronatus, utilitatem  
Civium tuendo, & totum Reipublicæ corpus  
curando, hæc duo divini Platonis præcepta strenuè  
defendis. Es indefessus Ecclesiæ nostræ Orthodoxæ  
Nutritius, inocciduum inclutæ Reipublicæ Bas-  
leensis Lumen, & ut paucis, quod volo, exprimam:  
In Tenatum est, quicquid prudentiæ & virtutis in  
Consule nasci potuerit: Ecce! tua pietatis & justi-  
tiæ gloria fulgentissima in subditos ingenti cum  
commodo resplendet.*

*Quapropter Deum Immortalem toto pectore  
veneror, ut Te, CONSVL SPECTATISSIME,  
porrò ad uberrimum perdilecta Patriæ emolumen-  
tum, tantis ærumnarum turbinibus, salvum &  
sanum conservet.*

*Effice sancte Deus, sint rata vota, precor.*

Dabam ex Musæo,  
die 9. Novembr.  
A. S. 1648.

A. S. P. V.

Humillimus

M. BERNHARDVS VERZASCHA  
Autor & Respondens.

## S. Θ.

**A**ρχὴ παιδείας ἡ τῶν ὄνομάτων Ἑπικεψεις elegans Epīcteti verbum est , cui præter Platonem, Aristotelem, Galenum, αετὸς ille ēν νεφέλως exer. i. sect. i. cum aliis innumeris suffragatur : Proin ante omnia ὄνοματολογίας Pleuritidis præmittendam censeo.

## II.

Originem nominis derivat Pleuritis πόνος τῆς πλευρᾶς, i.e. membranā, quæ costas intus succingit, ceu communi subiecto : Alias γενικῶς ἡ κοινῶς dolor lateris, dolor punctoriū, nuncupatur, & Serenus Medicus testatur , populariter vocatum esse telum, quòd instar cujusdam teli dolor pungitivus exoriatur: Nostris das Seitenweh / oder das Stechen in der Seiten/ dici consuevit.

## III.

Malum hoc diversam in Foro Medico sortitur acceptiōnē : Communissimè pro quarumcunquē Thoracis partium sensu prædictarum cum primis muscularum intercostalium tam externorum quam internorum dolore acceptatur, earumque adeò ratione Pleuritis spuria excitatur.

## IV.

Veram & exquisitam Pleuritidem (de qua disserendi campum ingressus sum ) cum Praeceptore definiō, quòd sit, inflammatio pleuræ seu membranæ costas

costas succingentis , si causæ definitionem desideres , talem largior , quòd sit tumor pleuræ calidus ex sanguine impacto & putrescente.

## V.

Subjectum Pleuritidis est Thorax & quidem secundùm membranam Pleuram , quæ περιτοις afficitur , (nunquam tota, sed plerumque nunc dextra, nunc sinistra ejus pars, nunc anterior, nunc posterior, ad jugulum superior, ad hypochondria inferior pertingens,) quamvis, uti docet Excellentissimus ille Artis Anatomicæ Antistes *D. D. Casparus Bauhinus Maxaejim⁹ l.2. Theat. anat. cap.26.* & ipsa pulmonum tunica aliquando afficiatur.

## V I.

Cùm autem in omni morborum cognitione & curatione juxta Praeceptorem l.2. ὡς τῶν σύναψεων Φυσικῶν cap.9. sint inquirendæ causæ, ego hīc quoque diligentiorem doctrinam illarum perpendam : Illas secundùm Praeceptorem l.1. m.m.cap.8. in externas & internas dispesco.

## V II.

Interna & quidē continens, græcè συνεκτίκη dicta, est humor in partem illapsus , ibique affectum fovens, potissimum biliosus, tenuis, sæpè sanguis purus, quantitate solùm peccans, aut sanguis cum bilioso humore permistus, rariùs sanguis pituitosus, rarissimè melancholicus, qui ex vena cava vel per ramum subalarem venasq; mammarias (quibus nutritiuntur quatuor costæ superiores) vel per αγνών ejusq; ramos reseratos (quibus octo costæ inferiores nutritiuntur) in intermedia pleuræ & muscularum inter-

intercostalium spacia influit , ibique ventilatione  
privatus inflammatur, & dolorem, febrem, pulsum  
durum, crebrum & inæqualem reddit. Posteritati  
tamen prodidit *Vesalius* Vir in re Anatomica peri-  
tissimus l.3. de corpor. hum. fabr. cap.7. se in quibusdam  
corporibus talem venæ ἀγύγια constitutionem re-  
perisse, ut omnes thoracis costæ ab ejus ramis nu-  
trimentum mutuare potuerint. Quid si nonnun-  
quam à sanguine ex arteriis venas hasce concomi-  
tantibus pleuritidem excitari defenderem?

### VIII.

Causa interna antecedens, græcis προηγμένη di-  
cta, est humorum redundantia & orgasmus, ob ha-  
bitum totius corporis phleorticū, c. & h. vel par-  
tis alicujus mandatis ut hepatis caliditatem, copio-  
sum, tenuem ac biliosum sanguinem generantis, via-  
rum laxitatem , vasorum apertio[n]em per ανασόμω-  
σιν, Αλατήδησιν, ρηξιν; quo etiam spectat partis reci-  
pientis debilitas, calor, dolor.

### IX.

Causæ externæ , Græcis προκατατίκαιαι dictæ,  
sunt, quæcunque præcedentibus tum idoneam gene-  
rationis materiam, tum motum subministrare pos-  
sunt: Schola Asclepiadea illas in necessarias & for-  
tuitas dividit: Posterioribus annumerat iustum, ca-  
sum, subitam post sudores, labores, balnea, refrige-  
rationem, onerum viribus adversantium gestatio-  
nem, alia, quæ sanguinis affluxum ad latus conci-  
tare valent.

### X.

Prioribus attribuit errores in convenienti sex  
rerum non naturalium regimine, ut 1. Aer hyber-  
nus,

nus, flatus aquilonii, juxta *Dicitatōris* præscriptum in  
a.s. f.3. 2. Cibus, potus, quantitate & qualitate pec-  
cans, cibi in primis c. acres, nimiūm aromatibus  
conditi, meracioris vini potus copiosus, frigidus,  
maximè post exercitia haustus. 3. Vigiliae & somni  
immoderatores, a.3.4. f.2. 4. Violenti corporis mo-  
tus. 5. Evacuationum solitarum intermissio. 6. In-  
ordinata animi pathemata.

### X I.

Jam ad Pleuritidis differentias: Illæ desumuntur  
1. A' loco affecto & doloris situ, unde alia ascen-  
dēs, cùm dolor ad superiora & jugulum extenditur,  
alia descendens, cùm ad hypochondria vergit, non-  
nunquā versùs dorsum magis, nunc versùs anterio-  
ra. 2. A' causis, quarum respectu alia ex Erysipelite,  
alia ex Phlegmone, & his tam puris quām mixtis,  
provenit: Alia insuper sicca dicitur, in qua nihil  
vel nullius momenti exspuitur, non solùm in morbi  
principio, sed etiam in ejus progressu, ob humo-  
rum cruditatem, crassitatem, visciditatem, doloris  
vehementiam; alia verò humida, in qua sputum  
mox circa morbi principium appetet.

### X II.

Nunc Pleuritidem quoque per signa cognoscen-  
dam exhibeo, cujus adeò firma & propria sunt, ut  
*Præceptor l. 12. m. m. cap. 7.* dixerit, Pleuritidem &  
Dysenteriam habere signa scientifica: Alia autem  
erunt Diagnostica, alia Prognostica; illa tum Pleuri-  
tidem ipsam, tum locum affectum, tum causas, de-  
signabunt.

### X III.

Παθογνωμικὰ, quæ in omni Pleuritide animad-

vertuntur, & ipsius Ideam complectuntur s. reperio.  
Primum est, dolor lateris acutus, membranosis in-  
flammationibus proprius, à sanguine in eum effuso  
ortus. 2. Febris acuta ob inflammationis magni-  
tudinem & cordis viciniam. 3. Dyspnæa, tum ob  
ingens incendium, cuius ratione respiratio crebra  
fit: ob febris enim vehementiam, cùm multo refri-  
gerio cor opus habeat, frequentia respirationis  
parvitatem resarciens accedit, tum ob pulmonum  
aliarumque respirationis viarum obstructionem.  
4. Pulsus durus ob arteriæ siccitatem & duritiem,  
quam membranosæ partis inflammatio & febris in-  
troducunt, *Præceptor l.i. de febr. differ.c.7.* eandem ob  
duritiem creber quoqne existit, & cum materia in-  
æqualiter pleuram afficiat, inæqualis & serratus  
reditur. 5. Tussis, tum ob pleuram obfessam,  
(quæ minus liberum spacium respirandi organis  
permittens naturam ad molestiam sibi onerosam  
dejiciendam incitat,) tum quia portio aliqua ma-  
teriæ pulmoni aliquando communicatur, quæ cum  
sputo & tussi excernitur: Accedit autem initio ple-  
rumq; sicca, quod parū à loco affecto exeat & tran-  
sudet; dein humida, cum copiosior materia pe-  
netrat.

#### XIV.

Thoracem affici & quidem secundùm Pleuram  
manifestè depravata ejus actio testatur: Dolor nem-  
pe lateris pungitivus, membranarum inflammata-  
rūm proprius, quas, uti *Præceptor 2. de loc. aff. c.5.* mo-  
net, ita afficere amat, tanquam si ex centro, quo fie-  
ri punctio videtur, in ambitum diffundatur: Hinc  
fit, ut Pleuritici pungitivum dolorem sentiant, qui  
quandoq; ad jugulum usque aliquando ad hypo-  
chondria

chondria extenditur, quod membrana totam Thoracis cavitatem investiat: Cum dolore situs & excreta conjungantur.

## X V.

Porrò singuli humores signis suis taliter distinguendi: Si proficiscatur à sanguine, adest venarum repletio & tensio, maximè circa tempora & frontem, sputum est cruentum, dolor magis distensivus comitatur, febris exacerbatio nulla: Si ab humore bilioso; dolor admodum pungens, febris ardens, saepius typum tertianæ observans, sputum flavum, sitis vehementior, oris amaritudo: Si à pituitoso sanguine; dolor non usq; adeò exquisitus, ad gravativum accedens, quotidiana febris exacerbatio, sputum spumosum, albicans: Si à melancholico succo; hunc deteget sputum lividum aut nigrum, febris de quarto in quartum accedet.

## X VI.

Qui signa hæc diligenter in conspectu habet, facilimè veram Pleuritidem ab aliis affectibus, qui cum ea similitudinem habere dicuntur, discernet, neq; enim in ullo alio morbo hæc simul reperiūtur: Vera itaque Pleuritis distinguitur à Spuria, quod in hac 1. dolor sit vagus & oberrans, qui per intervalla recurrat, 2. levi exacerbatur contactu, adeò ut 3. difficilior in latus ægrum fiat decubitus, cum materia in parte externa contineatur. 4. Febris vel nulla adest vel non adeo acuta. 5. Tussis pauca. 6. Calore & fomentis tollitur.

## XVII.

A Peripneumonia discernitur, quod in hac vel nullus vel gravativus percipiatur dolor, qui valde

exiguus, (ob exiguum, quem pulmo sortitus est, sensum,) nec in latere manifestatur, sed in medio Thoracis; insuper ad jugulum & hypochondria non pertingit, pulsus est mollis, undosus, nil aut parum expuitur, dyspnæa major, ut suffocationis quasi sit periculum, & ægri cervice recta spirare cogantur.

### XVIII.

Diaphragmatis inflammationem sequitur dolor minus pungens, isque nec in latere, sed extrema costarum ad finem sterni dolent; spirandi difficultas, febris major, frequens anhelitus, delirium.

### XIX.

Jecoris inflammationem ab hoc affectu distinguit 1. locus, siquidem in dextro hypochondrio durities, tumor. 2. pulsus undosus. 3. dolor gravans. 4. color, ubi facies totumque corpus male colorata. 5. Tussis, quæ exigua & sicca animadvertisit.

### XX.

Licet Pleuritis è numero τῶν ὀξεῶν νοσημάτων sit, in quibus (ut *Dictator* 2. *aphor.* 19. loquitur) ἡ πάμπαν ἀσφαλέες οἱ προδιαγόρεύσις, ἢ περὶ θεατῶν ἢ περὶ τῆς ψυχῆς: attamen ex consilio *comment. Praeceptor. in alleg. aphor.* operæ-premium facturus ero, si eorum, quæ *Dictator* ipse de his prædixit, præcipua saltē proponam: Illa præcipiūm à sputo ejusq; conditionibus & matrīcæ μετασώσι atque transitu in alios morbos desumpsi, quorum alia salutem alia mortem portendunt.

### XXI.

Sputum quod concernit: Πνύαλον γένη πᾶσι τοῖσι πλευρίναις καὶ πεπλευμονίαις διπεπίωσε καὶ ταχέως αἰαπλύεσθ,

αὐτοπλύεσθ, μεμίχθει τὸ ξενίον τῷ πλυνάλω. τὸ δὲ ὑπέροχον  
πολλῷ τὸ ὁδών, αὐτογόμενον ξανθὸν η̄ μὴ μεμιγμένον, καὶ πολλοῖς  
βῆκα παρέχουν, πονηρὸν. πονηρὸν δὲ πάντας καὶ τὸ ξανθὸν ἀκρητικόν, καὶ  
τὸ γληχρόν, καὶ λαλητόν, καὶ τὸ σρογύλον, καὶ τὸ χλωρὸν σφό-  
δες, καὶ τὸ ἀφρῶδες, καὶ τὸ πελιῶδες, καὶ ιῶδες. χεῖρον δέ το τὸ  
ὕτως ἀκρητικόν, ὥπερ μελανόν φαίνεσθ. h.e. In omnibus laterum  
& pulmonum morbis sputum promptè ac citò excreari ne-  
cessere est, flavumq; sputo permixtum esse. Quod si multò post  
dolorem flavum aut non commixtum rejicitur, nec non sine  
multa tussi, vitiosum censetur. Omnino autem pravum  
flavum, si sincerum est, & glutinosum & candidum &  
rotundum, itemq; vehementer ex virore pallescens, quodq;  
spumosum est, & lividum & aeruginosum. Aliquanto ve-  
rò deterius, quod sic est sincerum, ut nigrum quoq; videa-  
tur. Hæc Dictator Coac. 390. prænot. & 379. ait, τῶν πλυ-  
νικῶν οἷσιν ἐν δέχῃ πάμποι αἱ πλύσιες, τριπόι θνήσκεσσι, η̄  
πεπεμπαῖοι. h.e. in morbo lateralī, quibus circa initia in to-  
tum purulenta sunt spuitiones, ii tertio die aut quinto mo-  
riuntur. His Coacam 385. prænotionem adjungo, πλύ-  
ναλον ἐν τῇσι πλυνέρισι, τερτιον μὲν δέχόμενον πεπάνεοδαν καὶ  
πλύνεαδαν, θάσας ποιέσι τὰς διπλύσιας. ὑπέροχον δὲ βερδυτέρας.  
h.e. Sputum in morbo lateralī ubi maturescere & expiri  
tertio die cæperit, celeriores solutiones facit, quod si posteriūs,  
tardiores. Accedit prænot. 391. Coac. Πᾶν πλύναλον μὴ λύον  
τὸ ὁδώλε, πονηρὸν. λύον δὲ, χεῖσμον. i. e. Sputum quod-  
cunq; dolorem non tollit, malum significat, quod verò sol-  
vit, bonum. Multa adhuc alia ex Coacis, predictis, apho-  
rismis, in apricum proferre possem, sed

— non præstat motos componere fluctus.

Nunc ad μετασέσεως modum & Pleuritidis in alios  
morbos transitus.

## XXII.

Salutarem censeo, ubi naturæ vi & robore ma-

teria morbifica vel per sputa, narium hæmorrhagiam, aut ponè aures in parotidas abit, vel infernè per ulcus cruris, urinas, aut per alvum, expurgatur.

XXIII.

Perniciosem censet s.s. a.8. Οκέσσι ταλάρικοι γενόμενοι σὸν ανακαθαίροντας την πεσαρεσκαίδεντα ήμέρησι, τυτέοισιν ἐς ἐμπύημα καθίσταται. h. e. *Qui morbo laterali laborant, nisi intra dies 14. repurgentur, iis in suppurationem deponitur, & aphor. 15.* Οκέσσι σὴ ταλάριποδὶ ἐμπυοι γίνονται, λῳ ανακαθαρθῶσιν ἐς πεσαρέγκεντα ήμέρησιν, ἀφ' ἣς αἱ ρῆξις γίνηται, παύονται, λῳ ἢ μὴ, ἐς Φεδίσιν μεθίστανται. i.e. *Qui ex laterali morbo suppurati fiunt, si intra dies 40. ex qua ruptio facta est, repurgentur, liberantur, altoquin intabem transeunt. Accedit s. 7. aphor. 11.* Επὶ ταλάριποδι τειταλάριμον Πτηγινομένη, κακὸν. Ex morbo laterali pulmonis inflammatio, malum. & s.6. a.16. Ταῦτα ταλάριποδὶ ηταῦτα ταῖταλάριμης ἔχομεναι Διάρροια Πτηγινομένη, κακόν. i.e. Morbo laterali aut pulmonum inflammatione afflito, si diarrhœa supervenerit, malum. Horum autem accuratam aphorismorum explicationem profert Inocciduum illud Artis Iatricæ Lumen, D. D. Emmanuel Stupanus, Præceptor meus fidelissimus, & æterno amoris cultu venerandus, in aureis suis commentariis super Dictatoris aphorismos p.m. 384.385.386.

XXIV.

In summa: Ægri salutem indicat Colc. 393. Φέρειν ρητίως τὸ νόσομα, τῆς ὁδώντος ἀπηλλάχθαι, τὸ πιύαλον δύπτειως ἀνάγειν, δύπτον εἶναι καὶ ἄδιψον, τὸ σῶμα ἀπανόμαλῶς θερμαίνεσθαι, μαλθακὸν εἶναι. καὶ τοὺς τοῖσιν ὑπνοὺς, ἰδρῶτας, ψρων Διαχώρησιν ξενιστὰ γίνεσθαι. Mortem verò τὰ ναῦλα τέτων portendunt: Sed manum de signis.

XXV. His.

## X X V.

His itaque prælibatis θεραπείαις Pleuritidis aggredior, cuius primū indicationes veluti Duces firmissimos perlustrabo: In Schola recensentur tres: Curatoria à morbo; Præservativa à Causis; Vitalis à viribus tam totius quam partium.

## X X VI.

Morbusest Inflammatio, quæcum sit composita ex intemperie calida & aucta magnitudine, c. i. refrigerantia indicat, aucta verò magnitudo ex arte nil indicat, quandoquidem ad ablationem suæ causæ & ipsa tollitur: Causa est sanguis, qui cum adhuc est in fluxu, revellentia indicat, quatenus verò jam influxit, particularem sibi evacuationem indicat: Vires deniq; & quidem totius indicant sui conservationem per similia; partis verò affectæ medicamentis illas roborantibus conservabuntur: Dolor si magnus sit, viresque dejicientis & urgentis rationem habeat, neque ad sanguinis missionem leniatur, mitigantia indicat. His verò indicationibus triplici remediorum genere, χειρουργίᾳ, Φαρμακείᾳ, διαιτῃ, optimè prospicio.

## X X V I I.

Cheirurgicis in præfidiis tum ratione antecedentis quam continentis causæ primas tenet φλεβοτυμία, quam hīc præsentissimum tanquam & tutissimum remedium administrandam censeo: Hīc se offerunt tres nobilissimæ quæstiones.

I. *An*

# I.

*An pueris & senibus pleuritide laborantibus vena sit aperienda?*

Etsi Averroes referat, quod Avenzoar maximi apud Arabes nominis Medicus filio suo trimo venam aperuerit, & alii idem sexto anno & octavo fecerint. Tamen non facilè id tentandum, & vix ante annum 14. vena aperienda, cum vires ea ætate debiles sint, & ob mollitiem ac raritatem alias insignem corpus dissolutionem patiatur: Si tamē morbus valdè urgeat, puer sit pleno corporis habitu, sanguine redundet, & corpus non sit nimium molle, cæteraque consentiant, junioribus etiam vel scalpello vel hirudinibus venas aperire licet: Senibus, si adhuc validi sunt, sanguinei & carnosí, venam aperire nihil impedit: Vires etenim non annorum numero sed corporis robore & habitu æstimandæ sunt.

# II.

*An gravidis pleuritide comprehensis  
Phlebotomia institui possit?*

Si magna existat morbi vehementia, etiam sanguis mitti, parciùs tamen, in gravidis potest: Medi ci quippe observarunt, multas gravidas à pleuriti de, angina, febre continua, aliisque morbis, sine abortu liberatas fuisse.

*Amatus Lusitanus centur. 5. curat. 27. mulieri Vrbinati*  
utero gerenti, ad secundum mensem febre continua laboranti, venam brachii communem aperuit, & sex uncias

uncias sanguinis extraxit, quæ melius inde habuit: Et *ibidem*, alteri mulieri, quæ jam secundo mense prægnans erat, & febre continuâ laborabat, externam brachii venam aperuit, septem uncias sanguinis effluere permisit, quæ & ipsa melius habuit: *Et d.l.* alteri foeminæ *Mediolanensi*, quinto mense utero gerenti, ophthalmiâ laboranti, externam brachii venam aperuit, quæ ipsa quoque convaluit.

*Rodericus à Castro* perhibet *l.3. de morb. mulier cap.21.* se mulieri *Vlyssiponensi* pleuritide correptæ, & ab aliis Medicis pro desperata relictæ, quater sanguinem misisse, eam convaluisse, filium sanum peperisse. *Petr. Sal. Diversus de affect. part. cap.22.* refert, se aliquando venæ sectionem copiosè factam in ultimo mense, instante partus tempore, dum utero gerens ardenti febre conflictaretur, plurimo sanguine abundaret, tentâsse, hinc febris remissionem & partus accelerationem sperâsse, & utrumque ex sanguinis missione consecutum, fœtumque & matrem unâ periclitantem solo hoc remedio salvâsse: Plura exempla vide sis apud *Amat. Lusitan. centur.2. obser. 89.* *Marcell. Donat. l.4. de histor. med. mirabil. cap.16.* & *Salium Diversum a.l.*

Prolixè hanc controversiam exequitur *Horatius Augen. de curan. rat. per sanguinis miss. toto ferè lib.6.* & *Johan. Baptista Sylvat. controv.83.*

### III.

*Quæ Vena in Pleuritidis initio  
aperienda sit?*

De Vena in Pleuritide aperienda superioribus

seculis magna verborum contentione pugnatum est, alii Græcos alii Arabes secuti sunt, alii peculiares suas opiniones proposuerunt: Ideo hanc quæstionem arduam & famosam pleniùs explicare, totam hujus certaminis Historiam, clarissimorum Medicorum sententias, juxta temporis ordinem, quo vixerunt, cum Excellentissimo Sennerto proponere, animum induxi meum.

*Dictator* (unde decet, exordior) τοῖς διαιτησ ὁξέων nobis hæc reliquit: Τάμνειν (subintelligas in Pleuride) χεὶς τῷ σὺν τῷ Βεργίῳ φλέβα τῷ εἰσω ἐφ' ὄκτυρον, αὐτῷ τῶν μερέων. h.e. secare oportet internam brachii venam ea parte, quâ dolor affigit.

*Archigenes*, ut ex *Aetio tetrab.2. serm.4.c.68.* colligitur, ex opposito brachio sanguinem mittit: In his (infat ex *Archigene Aetius*) qui acuto morbo infestantur, siquidem circa mammas aut claviculam hæret dolor, venam incidere oportet in brachio non eo, quod rectâ ab inflammato latere procedit, sed opposito.

*Galenus* cum *Præceptore* suo consentit lib. de curandi ratione per sang. miss. c. 16. scribens: Εἴτε τῶν πλευρικῶν, ή κατ' άθὺ τὸ πάχοντος πλευρῆς φλεβοπομία τῷ ἀφελεῖσαν συνεργεῖσά τῷ εἰπεῖχατο πολλάκις, ή ᾧ τῆς αὐλικεμένης χειρὸς, ή πάντως ἀμυδρᾶν, ή μετὰ χερόν. h.e. Pleuriticis, quæ è directo lateris laborantis adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sapè utilitatem attulit, quæ autem ex brachio opposito, aut omnino obscuram aut post temporis intervallum.

*Præceptoris nostro Oribasius l.1. synops. cap.10. & l.7. coll. cap.s. allegata modo Galeni verba recitans adstipulatur.*

*Aetius*

*Aetius tetrab. i. serm. 3. cap. 12. in Pleuritide* φλεβοπάσιας è lateris affecti directo instituit.

*Cælius Aurelianus* ex alio latere, quod fuerit dolenti latere contrarium, sanguinem mittere profitetur.

*Celsus l. 2. c. 30.* usus se docuisse scribit, ex longinqua & opposita sanguinem mittendum esse.

Si me ad Arabum scholas accingam : *Serapion*, quem antiquissimum *Sennertus* judicat, tract. 2. c. 21. aperit primò & materia fluente basilicam oppositi lateris, tum si adhuc materia fluat, in loco contrario ei ex dorso ad longitudinem, i.e. Saphenam ejusdem lateris (uti *Sennertus* cum *Doctoribus* interpretatur) quod si malum confirmatum est, & non amplius materia fluit, venam in brachio ejusdem lateris.

*Rhases ἀλλοπέδουλος* videtur : Nam 9. ad *Almansar.* cap. 57. si dolor ad claviculam perveniat, sanguinem ex lateris dolentis axillari mittit, nisi πληθώρα ad sit, tum enim in opposito brachio venam aperit: In opposito autem latere lib. divis. cap. 54. φλεβοπάσια instituere præcepit, postea tertio die ex latere dolente : Sed 5. contin. initio ex brachio lateris oppositi, tum ex saphena lateris affecti, tandem ex brachio lateris dolentis aperit.

*Avenzoar* primò venam oppositi lateris basilicam aperuit.

*Haly Abbas* l. 6. pract. cap. 13. primò lateris oppositi basilicam, si malum processerit, ejusdem lateris venam secavit.

*Avicennas* l. 3. fen. 10. tr. 5. cap. 1. præcipit primò sectionem saphenæ secundùm longitudinem oppositæ, dein nigram, i.e. oppositi brachii medianam,

aut hac non apparente, cephalicam , tandem & post aliquot dies venam brachii in latere opposito secat.

*Avenrois 7. collect. φλεβοτομίαν* in parte opposita instituit.

Hujus vestigia *Mesues* premit : Si tamen magna sanguinis abundantia se repræsentat , primò saphenam lateris oppositi aperit.

Cùm verò postea ab Arabibus ad Gallos & Italoscum reliquis disciplinis Iatrica transplantarentur , & Græcorum monumenta in tenebris latitarent : Medici omnes post Arabum tempora ferè ad annum 1500. *Gentilis*, *Arnold. de Villa nova*, *Gordonius natione Gallus* & apud *Monspelienses Medicinæ Professor*, *Valescus de Taranta*, *Petrus Apponensis*, cognomento *Conciliator dictus*, *Nicolaus Florentinus*, *Matthæus de gradibus Mediolanensis*, *Antonius Guanerius* & *Gattinaria Tucinenses Medici*, *Alexander Benedictus Veronensis*, *Johan. Arculanus*, cum plurimis initio Pleuritidis aut saphenam aut basilicam oppositi lateris aperuerunt.

Attamen circa annum τῆς θεοφορίας 1500. de vena principio pleuritidis secunda dissidiū primò exortum fuit , dum *Veneti* pleuritidis initio saphenam *Bononienses* & *Florentini* basilicam oppositi lateris aperirent : Circùm hæc tempora ingenuarū Disciplinarum flores revirescere incœperunt, & Græcorum scripta vel græca vel Latio pleniùs ac planiùs donata ad sedulam posteritatem pervenerunt, vnde quædā Arabum effata , antea mordicūs propugnata, à Medicis quibusdam in dubium vocata fuerunt: Ex qua occasione illi nec sententiam Arabum de φλεβοτομίᾳ initio Pleuritidis intactam reliquerunt.

Ita *Matthæus Curtius Ticinensis*, Medicinæ Antecessor, in pleuritidis initio venam cubiti ejusdem lateris ape-

ris aperiendam statuit : Ipse tamen pleuriticus fatus contrarium in se fieri efflagitavit ; unde vitam sibi, quām libri de φλεβοπνίᾳ in Pleuritide exarati fidem, servari maluisse visus est.

Eandē curationis pleuriticæ viam ingredebatur *Petr. Brisottus*, Medicus Parisiensis : Huic sententiæ in Germania patrocinabatur *Leonhardus Fuchsius* : Petrum Brisottum Magistrum suum imitabatur *Martinus Acakias*, *Matthæo Curtio* & *Petro Brisotto* se conatu maximo opponebat *Andreas Thuringus Pisciensis*, qui Arabum castra sequebatur, epistolâ ad *Brisottum A.S. 1516.* & peculiari libello de curatione Pleuritidis per sang. miss. in publicum emissō.

*Leonhardus Facchinus Emporiensis*, et si Medicinam Græcorum sectaretur, & totum se illorum scriptis emanciparet, hac tamen in controversia Arabibus calculum suum addidit, & initio morbi saphenam hinc lateris affecti venam aperuit.

*Johan. Manardus A.C. 1531.* patrocinium *Curtii* adversūs *Thurinum* suscepit : *Benedictus Faventinus* edito A.S. 1534. libro venæ sectionem pleuritidis initio in eodem latere defendit : Arabum & Patronorum sententiam approbavit unominor *Aristotele J.C. Scaliger* in comment. in lib. Hipp. de insomn. A.S. 1539. in lucem emissō : Idem fecit *Trinacavellus*, qui scripto peculiari Venetiis A.C. 1539. edito *Curtium ac Brisottum* refutavit.

*Andreas Vesalius* peculiarem opinionem nutrit : Ille enim in epistola *Nicolao Florenati* transmissa, sive dextrum sive sinistrum latus afficiatur, semper in dextro latere venam aperiendam censet, nisi costæ tres superiores sinistri lateris afficiantur.

*Fernelius l.2. M.M. c.s.* revulsionem esse tractum in contrarium concedit, non tamen dextra sinistris,

sinistra dextris , aut alio modo opposita esse contraria statuit, sed fibrarum h̄ic ductum præcipue attendendum existimat, quarum recto cursu opus sit: Ideò, cum unum crus laborat, in altero commode venam aperiri posse autumat , quia communis & directa ob fibras sit venarum societas, quod in pleuritide fieri nequit , cum fibrarum communio & venarum societas desit.

*Johannes Baptista Montanus* sequentem opinionem fovet, uti ex comm. in fen. 4. Canon. Avicen. Venet. A.S. 1556. edito p.m. 247. & comment. ad aph. 21. f. 1. ibid. A.S. 1555. edito elucescat. Phlebotomiam diversivam universalem dividit in simplicem & compositam: Simplicem vocat, quam impetus solùm nobis indicat, compositam, quando simul cum impetu plethora consideratur.

In diversione simplici duos terminos esse considerandos docet, ad quem seu locum affectum , & terminum à quo seu fontem , unde materia transmittitur: Terminum à quo esse nunc totum corpus autumat , sive totum genus venosum , nunc partem aliquam corporis determinatam. Si igitur in dextram succingentem materia communicetur à capite , unius diametri ratione sanguis deorsum ruens sursum trahendus esset : Verùm quia super caput nihil, & ita altera  $\Delta\mu\epsilon\tau\zeta$ , quâ sc. inferna superioribus respondent, deest, mittendum censet sanguinem ab opposito latere , quia saltem habemus unam  $\Delta\mu\epsilon\tau\zeta$ , quæ est inter dextram & sinistram: Ita si ab hepate materia communicetur, venam non in brachio aperiendam censet, ( ita enim ad partem affectam traheretur,) sed potius saphenam aperiendam , ut sanguis ad inferiora revelatur.

latur. Si verò membrum mandans sive fons sit totus venarum ambitus, tantum determino ad quem esse sollicitum jubet, quia fluit à singulis materia; servandumque debitum spaciū & rectitudinem non tantum respectu viarum, sed & quā sanguis commodè potest progredi, unde tunc venam aperiendam in eodem v.g. dextro latere: Nam hīc, quantò magis ductum rectæ lineæ servamus, tantò commodius sanguis evacuatur, quia in angulis impedimentum sanguinis sequitur. Si diversio sit composita i. e. cum impetu simul plenitudo consideretur, tum semper ab opposito latere ducendus, quia si in eodem latere vena aperiretur, & quidem copiosè sanguis efflueret, homo mortem obiret, vel pleuritis in peripneumoniam degeneraret, si parùm, æger suffocaretur. Hæc *Montanus* d.l.

*Marcus Antonius Montisanus Geminianensis* conclusiones de φλεβοπνίᾳ in morbo laterali conscripsit, & *Florentiae A.S. 1556.* in lucem edidit, in quibus *Curtium & Thurinum* ambos sibi familiares cum *Mannardo & Brisotto* hinc inde perstringit.

*Thaddæus Dunus Medicus Tigurinus lib. 4. de arte revellendi & simpliciter evacuandi per venæ sect. & epistol. cum Leonhardo Fuchsio concertatione pauculis à Vesalii sententia recedit.*

Et hæ sunt præcipuæ Præcipuorum Medicorum de φλεβοπνίᾳ in pleuritidis initio sententiæ, quas postea Recentiores sequuti sunt: Ego in arena, ut cuilibet Autori propria stet autoritas, sententiam meam citra læsionem ullius proferam.

Sanguinis quantitas plenitudini corporis, magnitudini inflammationis, & tolerantiae virium, respondeat: Vicariæ φλεβοπνίας in corpore infirmo  
& parva

& parva materiæ copia sunt cucurbitulæ cum sca-  
rificatione, in scapulis, infernis lumbis, natibus,  
(ubi & hirudines applicari possunt,) appositæ: Fri-  
ctiones tandem & ligaturæ extremis gratiâ diver-  
sionis convenient.

### XXIX.

Ex fonte pharmaceutico polydædala medicamen-  
torum varietas profluit: Sunt alia vel intus assu-  
assumenda vel foris applicanda.

### XXX.

Intus sumantur & quidem per alvum subductio-  
nis gratiâ *Clysmata*, antè venæsectionem, tum *lenien-  
tia*, tum *laxantia*, tum *refrigerantia*, ex *Herb. q. emoll.  
Rad. alth. lilio. albor. Herb. camom. melilot. lactuc. endiv.  
sem. 4. frigid. major.*

### XXX.

Intus verò per os accipiātur *alterantia, laxantia* po-  
tiùs quàm *purgantia*, quorum, ubi opus, mitia, lenia,  
& pectori amica, eligas, qualia tibi erunt: *Cassia, Man-  
na, Tamarindi, syrup. violar. & rosar. solut. simpl.* A for-  
tioribus *purgantibus* aut medicamentis planè absti-  
nendum, ne commoti ab his humores majore im-  
petu partem affectam irruant.

### XXXL

*Expectorantia* sint reliqua per os exhibenda, quo-  
rum formulæ reperiuntur innumeræ: *Eclegmata, Ta-  
bellæ, Trochisci, Olea, Syrupi, Pilulæ Hypoglottides dictæ:*  
Alia materiam nimis teuem & adhuc fluentem in-  
crassant: *Rad. alth. flor. viol. bugloss. Jujuba, papaver, syr.  
viol. jujub. capil. Vener. papav. simpl. errat. diatragac. frig.*  
Alia crassam attenuant, concoquunt, *syrup. tuſil. ca-  
pill. Vener. glycyrb.*

### XXXII. Malo

### XXXII.

Malo his universalibus præmissis radicitus non extirpato ad particularia *Topica* seu externa transeundum, quæ humorem infixum digerunt, attenuant, insensibiliter resolvunt, dolorem leniunt: Horum alia mitiora, in corporibus mollioribus, pueris, fœminis, locum habentia: *ol. violar. amygdal. dulc. unguent. dialth.* Alia mediocria, aliquam discutiendi & aperiendi vim habentia: *Chamæmel. aneth. hyssop. sem. lini, fænigr.* Alia tandem fortiora, viris & robustioribus admovenda: *Sal dictam. cret. galb. sinap.* Atque ex his variæ remediorum formæ componuntur: *Fomenta, Inunctiones, Cataplasmata, Sacculi, Olea,* quibus relictis, (cum Practici in his copiosè abundant,) residuam Pleuriticorum Diætam paucis attingam.

### XXXIII.

Pleuriticus in aëre temperato aut mediocriter ad frigiditatem vergente degat: Victus tenuis sit: Cibi ex carn. pull. gallin. pisc. saxatil. exhibeantur: Potus sit *aqua hordei vel decoctum pectorale*: Vino abstineat, febre cessante, consuetudine, viriū imbecillitate, aliisque usum ejus imperantibus sit oligophoron, & *aq. sacch.* dilutum, quo modicè utatur: Potus insuper non sit actu frigidus, ne sputum & quod insensibiliter transpirare oportet, retineatur: Omnia acida, falsa, fauces exasperantia & adstringentia, intentur.

### XXXIV.

Somnus circa initium (ne sanguis ad interiora nigris recurrere cogatur) parcior sit, in reliquis temporibus liberalior, cum nempe ad suppuration-

nem inflammatio tendit ; commodissimum namque concoctionum ὄργανον somnus est : Vigiliæ, quod vires prosternent & febrim augeant, omnino obsunt : Motus animi & corporis vehementes caveantur, ita ut æger quoque parum loquatur: Albus lenientib. ænematib. aperta teneatur, ejusque immoderatior fluxus sistatur: Summatim in omnibus, quantum fieri potest, AVREA MEDIOCITAS observetur.

---

## POSITIONES

### De

Epilepsia è prælectionibus canicularibus depromptæ.

#### I.

Veteres Epilepsiam ob 4. rationes ἱερὸν νόσου vocitasse autumo.

#### II.

Cur Epilepsia Herculeus morbus appelletur, malo Præceptorí quam Philosopho ad stipulari.

#### III.

Recte σεληνιανὶ & σεληνιαζόμενοι Epilepsia laborantes Graiis dicti sunt: Talis forsan à nostro anima & corporis Medico curatus fuit Matth. 17. v. 1. & seqq.

#### IV.

Nec male dicitur morbus, qui insputatur, apud Comicum seniorem in capt. a. 3. l. 4. si symptoma spectes.

#### V.

Optime veneranda antiquitas fecit, quæ Epilepticos rus alegabat, ne familiam inficerent.

V I.

Hancia τὸ Σπιληψίας σωεκτικὴ nequaquam est humor viscidus, contra Riolan. senior. c.16. de morbor. cereb.

V II.

Illum comment. Brassavol. in a.42. f.2. egregie refutat.

V III.

Ex esu fructuum horariorum, & nimia lactis ingurgitatione, puellam epilepsiam correptam fuisse, refert Francisc. Hildesheim in specileg. p.m. 559.

I X.

Προκαλαρίκη τὸ Σπιληψίας αἵτια aliquando est inedia, cuius exemplum de Grammatico recitat Præceptor s. de loc. aff. cap.6.

X.

Mora longa in balneo, cuius historiam offert Gabelkoffer centur.4. curat.59.

X I.

Olfactus rerum fætidarum, bituminis, picis, gagatis, cuius suffitu antiqui servos emendos, an essent Epileptici, explorabant, uti attestatur Mercurial. l.l. Prax. c.10.

X II.

Mæror, cuius exemplum affert Amatus Lusitanus centur.2. observ.90.

X III.

Excitatam quoq; Epilepsiam fuisse, ob Epilepticum cadentem Christoph. à Vega l.3. de art. med. cap. 12. perhibet.

X IV.

Ob decollationem spectatam, Martinus Weinrich lib. de monstr. cap.15.

X V.

Ob fratrem subito mortuum, Amatus Lusitanus d. l. annotaverunt.

X V I.

*Imò per jocum incussum metus & terror (praeunte eodem  
Christoph. à Vega a.l.) pueros fecit Epilepticos.*

X V I I.

*Observavit Epilepticū non cadentem Marcellus Do-  
natus l.2. histor. med. mirabil. cap.4.*

X I I X.

*Stantem vidit Anton. Benivenius in lib. de abdit.  
morb. cauf. cap.97.*

X I X.

*Cursitantem spectavit Eraurus in anatom. lib. Co-  
mit. Montan. part.2. p.m. 195.*

X X.

*Quod autem Brunnerus consil.14. de facultate volen-  
di, intelligendi, imaginandi, retenta, alicujus Epileptici  
exemplum affert, ego, salvâ Brunneri pace, purum fuisse  
motum convulsivum, affirmo.*

X X I.

*Optimè addit Dictator 7. aphor. sect.5. τὰ μόλλα ξυδ-  
θύνοντι.*

X X I I.

*Testatur enim Trincavellus l.1. consil.29. Senem quin-  
quagenarium Epilepsiam 25. annis laborantem fuisse cura-  
sum, qui tamen in febrem & scabiem lepræ similem inci-  
dit, quæ plus negotii quam Epilepsia faciebat, donec &  
eandem superaret.*

X X I I I.

*In paroxysmo Epileptico dentes diducantur, & patu-  
lum os servetur: Observavit enim Præceptor l. de diffe-  
rent. morb. c.2. & Forest. l.10. observ.66. quosdam in  
paroxysmo lingue particulam sibi morsu amputasse.*

X X I V.

*Non nemo sibi imaginatur, si sequentes versus ter in au-  
rem*

rem inclamentur : vel in charta scripti collo alligentur, certissimè paroxysmum esse cessaturum :

Caspar fer Myrrham thus Melchior Balthasar aurum,  
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum,  
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Sed hæc

——— credat Judæus Apella  
Non ego ———

## X X V.

*Non sine causa censet Thomas Eraustus disput. 4. contra Paracels. in Epilepticis plurimis frustra fieri omnia, si purgationes omittantur.*

## X X VI.

*Corruptam meningem Epilepsiaæ causam fuisse observavit Fernel. l. 2. de abd. morb. cauf. c. 15.*

## X X VII.

*Ex cranio quoq; carioso Epilepsiam ortam docet Forest. l. 10. observ. 67.*

## X X I X.

*De Setaceo monendum est, id magnum in Epilepsia usum habere, refert enim Guilielm. Fabr. centur. I. observ. 4. se juvenem quotidie Epilepsia laborantem, cui frustre etiam alia remedia fuerant adhibita, centur. 4. observat. 47. puellam 18. annorum ab ipsa infantia Epilepticam, solo restituisse Setaceo.*

## X X I X.

*Partes, è quibus materia Epilepsiaæ causa ad caput tollitur, variae sunt: Ventriculus, cuius exemplum refert Præceptor s. de loc. aff. s. Fernel. in consil. med. 7. Lien, Vterus, & alia partes internæ.*

## X X X.

*Pars aliqua externa; ut Pes, videatur exemplum apud*

Præceptorem 3. de loc. aff. cap. 7. Pollex pedis, Manus, Digitus, & aliae.

X X X I.

Periculose sentit Trallianus l.i.c.15. qui infantibus Epilepticis extra paroxysmum, si curationem attendas, nil concedendum putat.

X X X I I.

Laetentes Epileptici infantes curari commodius non possunt, quam si medicamenta nutrici exhibeas.

X X X I I I.

Infantium ablactatorum θεραπείας docet Præceptor in consil. de puer. Epilept. quod tamen cum sale legendum censeo.

X X X I V.

Non solus homo Epilepsia corripitur.

X X X V.

Etenim coturnicem, alaudam, graculos, capos, passeres, capras, canes, epilepsia laborare, Historici profitentur.

X X X V I.

Subjectum Epilepsia omnes sacratissimæ Iatricæ Excultores cerebrum profitentur.

X X X V I I.

Solus tamen Quercetanus in Tetradi. cap. 8. aliter mihi sentire videtur, in quibusdam Epilepticis cor οὐώτως περιγράφεται αὐτὸ affici statuens.

X X X I I X.

Ob. Quercetanus: Hoc demonstrat pulsuum conversiones & animi deliquia: Resp. est Fallacia ωδη τιμὴ εἰλέγχος ἀγνοῶν.

X X X I X.

Pergit: Dantur Epilepsia, in quibus actiones Principes permanent: Dicam, quod sentio, hoc planè falsum est.

X L. Verum

## X L.

Verùm ipse Quercetanus a.l. sibi contradicit: Si enim Cor primarium Epilepsiaë subjectum est, cur ille omnem curationem ad Cerebrum non verò ad Cordis dirigit.

## X L I.

Quenam illa specifica sit malignitas Epilepsiam progenerans, explicare in hac naturæ obscuritate àduerat: Ecce nunc! quid nostra scientia in hac miseriарum valle?

## X L I I.

Nonnulli Chymicorum h̄ic se rem clariùs declarare quam Galenicos plenis, ut ajunt, buccis promittunt, sed an re ipsā præstent, valde dubito.

## X L I I I.

Cacophrastus Paracelsus & Asseclæ cælum cum terra mifeentes Epilepsiam morbum esse Mercuriale docent, quomodo autem id clare explicit, ego non video.

## X L I V.

Subtiliores Paracelsistæ, ut rem accuratiùs determinare videantur, è Petri Severini Idea, radicem hujus mali statuunt Vitriolum Mercuriale: verùm & hos in consuetum amatæ contradictionis labyrinthum illabi palam dico.

## X L V.

Quid multis? Æquè h̄ic Chymicis ac Galenicis ad occultam qualitatem, necessarium illud humanæ ignorantiae asylum esse configiendum, profiteor.

## X L V I.

Quapropter meritò Johan. Crato in epist. à Scholtzio collect. epist. 137. exclamavit: Utinam ante vitæ meæ exitum veram hujus mali dignotionem & verum mihi remedium aliquis demonstraret.

## X L V I I.

Thomas Eraustus, in anatom. lib. Comit. Mont. & disput. de convuls. motum Epilepsiaë convulsivum à facultate

facultate animali provenire statuit: Econtra Comes Montanus disput. adversus Eraustum acerrimè hoc negat: Ego hos ambos sibi contrariantes facile conciliabo.

X L I X.

*Sanguis in Epilepsia paroxysmo nequaquam est mitendus.*

X L I X.

*Aliquando tamen extra paroxysmum cum fructu institui Φλεβοτομian posse, nullus dubito.*

L.

*Quæ autem vena aperienda? distinguo.*

L I.

*Vomitoria in Epilepsia proscribo.*

L II.

*Frictiones in Epilepsia aliquam utilitatem afferunt.*

L III.

*In paroxysmo epileptico sternutationem ciere licet.*

PLVRA CVM DEO TRINO ET VNO  
SAPIENTIÆ LARGITORE SALVTIS DIRIBITORE  
ARCHIATRO PRÆPOTENTE  
CVI IN SVPREMA  
IMMVNDI MVNDE  
SENECTVTE  
GLORIA LAVS ET HONOR  
SIT  
IN OMNEM ÆTERNITATEM  
AMEN AMEN.